

DREI SOPHISMATA ZUM FORMPROBLEM IN DER HS. UPPSALA C 604

In der Hs. Uppsala C 604 finden sich 3 Sophismata die das Problem "De gradibus formarum" von verschiedenen Gesichtspunkten aus erörtern. Diese Sophismata gehören der Zeit um 1280 an und entstammen also einer Zeit aus der wir nur wenig über die Aktivität an der Artistenfakultät wissen. Für eine Beschreibung der Hs. und für eine nähere Diskussion dieser Sophismata sei auf den Artikel von Heinrich Roos verwiesen: "Neuentdeckte Sophismata zum Formproblem". Theologie und Philosophie 46 (1971) 248-256.

PATRICIUS DE HIBERNIA

Sophisma 'Homo est animal'

B = Basel UB, F IV 18 f.69r-78v.

M = München Clm 3852 f.44ra-47vb.

U = Uppsala C. 604 f.81ra-84vb.

P = Paris, Bibl.Nat. 3416 f.11v-14v.

I

HOMO EST ANIMAL. Circa istam orationem quaeritur, cum 'animal' praedicatur de homine sicut genus de specie, quid significet 'animal': utrum significet essentiam hominis tantum, vel asini tantum, vel quiditates omnium suarum specierum?

Et arguitur, quod significet quiditates omnium suarum specierum, quoniam illud, quod praedicatur de habentibus plures quiditates, significat plures quiditates. Sed animal praedicatur de habentibus plures¹ quiditates.

M ist als Leithandschrift gewählt; deshalb sind alle Abweichungen von M im Apparat notiert. Die Lesarten der anderen Hss. werden nur angeführt wenn sie in zwei oder mehreren Hss. vertreten sind, oder wenn sie einen signifikant anderen und sachlich möglichen Text bieten.

1 habentibus plures: pluribus habentibus M

Ergo etc. Maior declaratur: quoniam illud, quod praedicatur de habentibus plures¹ quidditates, aut significat plures quidditates aut unam. Si significat plures, habeo propositum. Si significat unam, non potest significare nisi aliquo istorum trium modorum: aut significat quidditatem hominis tantum, et sic non potest praedicari de asino, quod est inconueniens. Aut significat unam quidditatem diversam ab utraque quidditate, et tunc non potest praedicari de homine et de asino in quid, quod similiter est inconueniens. Aut significat unam quidditatem eandem homini et asino, quod est inconueniens, quia nulla res est communis homini et asino.

Oppositum arguitur: illud, quod praedicatur de habente unam quidditatem, significat unam quidditatem. Sed animal praedicatur de homine, qui habet unam quidditatem. Ergo animal significat unam quidditatem. Maior² de se manifesta est, quia si significaret plures quidditates, tunc plures quidditates praedicarentur de una quidditate, quod est inconueniens.

1.

Ad hoc dicebatur, quod hoc nomen 'animal' et quodlibet nomen generis est id quod est in omnibus speciebus, et quia quidditates diversarum specierum sunt diversae, ideo 'animal' significat diversas quidditates, tamen cum hoc dicebatur, quod illas quidditates significat hoc nomen 'animal' sub ratione communi.

Et tunc ad rationem in oppositum respondebatur⁴. Cum arguebatur⁵: "Illud, quod praedicatur de aliquo habente unam quidditatem et in quid, significat unam quidditatem", verum est, si significatur sub ratione determinata. Et quia⁶ 'animal' significat id, quod significat, sub ratione communi, ideo potest significare plures quidditates et tamen non significat aliquam unam quidditatem in re, sed⁷ quidditates specierum.

Contra hoc multipliciter arguebatur⁸ et primo arguebatur, quod⁹ hoc nomen 'animal' significat unam quidditatem in re, quia scribit Philosophus VII. Metaphysicae, quod idem significat nomen et nominis definitio.^A Ergo illud, quod habet unam definitionem realem, significat unam quidditatem

1 habentibus plures: pluribus habentibus M 2 minor M 3 hoc nomen:
om. M 4 respondetur BU 5 arguitur BPU 6 Et quia: et cum B
tamen P cum tamen U 7 sed: + plures M 8 arguitur BPU 9 quod:
+ primo PU

realem. Sed hoc nomen 'animal' habet unam definitionem realem sicut apparet quod animal est substantia animata sensibilis. Ergo 'animal' significat unam quidditatem in re.

Item secundo arguebatur, quod hoc nomen 'animal' significat unam quidditatem in re. Nam sicut scribit Philosophus in principio Praedicamentorum quod in hoc est differentia inter aequivoca et univoca, quod in ipsis aequivocis nulla invenitur communitas nisi solum vocalis¹, ut patet per definitionem aequivocorum, in ipsis autem univocis invenitur duplex communitas, scilicet vocalis et communitas rei significatae per nomen, ut patet per definitionem univocorum.^A Cum tunc² hoc nomen 'animal' sit univocum homini et asino et aliis speciebus, non solum eis erit communitas vocis, sed etiam rei significatae per vocem. Quare hoc nomen 'animal' significat unam quidditatem illis communem et non diversas.

Item arguitur: 'animal' per se praedicatur de homine. Ergo significatum animalis³ per se praedicatur de significato⁴ hominis. Ergo de quocumque praedicatur animal, de eodem praedicatur 'homo', cum 'homo' et 'animal' idem significatum habeant. Sed 'animal' de asino praedicatur. Ergo et 'homo' praedicatur de asino.

Et confirmatur sic ratio: quoniam illud, quod praedicatur de aliquo per se et in quid, non praedicatur de eo ratione conceptus vel modi intelligendi vel significandi, quoniam omnia sunt accidentia rei significatae, et ideo perseitas⁵ debetur ratione rei. Ergo cum 'animal' per se praedicetur de homine, res significata per hoc nomen 'animal' est res significata per hoc nomen 'homo'. Et cum idem praedicat 'animal' et significat, et 'animal' significat per se essentiam asini sub indifferentia, ergo 'homo' significabit essentiam asini sub indifferentia, quod est inconveniens.

Item arguebatur ulterius: Quod quid erat esse est obiectum intellectus. Si ergo⁶ hoc nomen 'animal' significat plures quidditates, cum intellectus non posset intelligere plures quidditates simul, nec posset imponere nomen ad significandum plures quidditates simul, quare hoc nomen 'animal' non potest significare plures quidditates simul ad minus univoce, cuius contrarium dicit Philosophus.^B

Item: omne accidens reale causatur a substantia. Ergo unum accidens

¹ nominalis M ² ergo BP ³ animalis per se: per se animalis M

⁴ significato: + per se M ⁵ per se M praedicatio B ⁶ Si ergo: Sed si U Sed BP

A lal-lo. B *Ibd.*

reale debet¹ causari ab una substantia. Sed sentire in homine et asino est unum accidens reale. Huius² signum est, quia unitas potentiae est ex unitate obiecti. Ergo cum color est obiectum visus in homine et in asino, potentia sentiendi in homine et in asino est eadem secundum speciem, et potentia eadem secundum speciem procedit ab eadem substantia secundum speciem. Ergo eadem substantia secundum speciem erit in homine et in asino. Sed 'animal' per te³ significabit substantiam hominis et asini, quia una est secundum speciem ut probatum est. Ergo 'animal' significabit unam substantiam secundum speciem.

Item arguebatur: quod significat⁴ animal significat plures quidditates⁵. Sed⁶ 'homo' significat animal, ergo 'homo' significat plures quidditates, quod est inconueniens.

Multa alia fuerunt arguta, quae tamen redeunt⁷ in idem.

2.

Secundo quidam alius sumpsit sibi quaestionem et dixit, quod 'animal' significat⁸ omnes suas species sub disiunctione, ita quod significat hominem et asinum sicut extrema disiunctionis. Et disiunctio <non> est aliud ab ipsis disiunctis, ita quod totum significatum animalis est omnes quidditates specierum.

Et contra hoc arguebatur: quādocumque aliquid praedicatur de altero per partem sui significati, ipsum non praedicatur per se, sed per accidens; cum tunc totum significatum animalis est omnes suae species vel quidditates omnium suarum specierum, sicut pars specierum est una species, ita⁹ et pars totius significati significantis plures species est una species. Ergo 'animal' praedicatum de homine praedicat¹⁰ partem sui significati, et illud, quod praedicatur de aliquo ratione suae partis¹¹, praedicatur¹² per accidens, et ideo 'animal' praedicatur per accidens de homine.

Item: cuius tota natura salvatur in una specie, eius totum significatum salvatur in una specie. Sed dicit Philosophus, quod tota natura generis salvatur in una specie.^A Ergo et totum significatum. Ergo genus non significabit plures species ut diversa significata.

1 dicitur M 2 cuius PU 3 se MP 4 quod significat: quia si M
quod B 5 plures quidditates: homo P 6 et M 7 reducuntur M *defi-*
cit P 8 om. M 9 ita et: et ita M ita B 10 praedicatur secundum
P 11 de-partis: secundum partem sui significati P 12 praedicat M

A *Locum non inveni*

3.

Tertius sibi assumpsit quaestionem et dixit, quod natura animalis in homine et in asino et in omnibus suis speciebus est una, quia in homine est duplex forma, scilicet forma completa et forma incompleta, ita quod forma animalis in homine est forma¹ incompleta et forma hominis est forma² completa, ita³ quod homo et animal non differunt in forma animalis, quae est forma incompleta⁴, sed differunt in formis completis ut in anima rationali et irrationali.

Et voluit declarare per simile, quod sicut in superioribus inveniuntur quaedam formae perfectiores, quaedam minus perfectae, ita in inferioribus.

Contra ista multipliciter arguebatur: primo contra positionem in se, secundo contra declarationem positionis.

Primo arguebatur contra positionem tribus vel quattuor mediis, quorum primum est: Quandocumque aliqua duae differentiae sunt condividentes aliquod genus, illud, quod per se uni differentiarum convenit, oppositum illius per se debetur differentiae oppositae. Nunc autem⁵ est ita, quod substantia est unum genus, quod dividitur per actum et potentiam. Ergo quod debetur per se potentiae condividenti substantiam, oppositum debetur actui condividenti substantiam. Sed per se de materia praedicatur pura potentia. Ergo de actu sibi opposito per se praedicatur purus actus. Nunc autem actus incompletus non est purus actus. Ergo nullus incompletus est in genere substantiae.

Item: illud distinguitur contra potentiam primam⁶, quod primo perficit potentiam primam⁶. Sed per te⁷ forma animalis realis primo advenit materiae. Ergo primo perficit materiam. Quare non est forma incompleta, sed forma completa, quia forma animalis est forma entis simpliciter, sed ens non est simpliciter nisi per formam simpliciter. Sed animal est ens simpliciter. Ergo forma animalis est forma simpliciter, et forma simpliciter non est forma incompleta, cum simpliciter opponitur secundum quid. Ergo forma animalis est forma completa, cuius contrarium dicebatur.

Item: quandocumque aliquod praedicatum praedicatur de aliquo subiecto includente in se aliquam⁸ formam realem a forma praedicati⁹, illud nullo modo praedicatur per se de illo subiecto. Cum enim per te dicendo sic 'homo est animal' 'animal' praedicatur de homine per formam animalis,

1 om. M 2 om. M 3-4 ita-completa: om. M 5 om. BU 6 puram U
7 se M 8 + aliam P 9 + diversam U

quae est in homine, et cum homo in homine est forma hominis, quae alia in re est a forma animalis, 'animal' non praedicatur de homine nisi per accidens.

Item: Per dictum illud¹ arguebatur, quod numquam esset generatio simpliciter neque corruptio. Quia Philosophus vult I. De generatione,^A quod triplex est transmutatio, scilicet generatio, alteratio et augmentatio, quae distinguuntur penes subiecta², quia subiectum alterationis est subiectum sensibile in actu, et subiectum augmentationis est quantum actu, et subiectum generationis est solum ens in potentia. Ergo sicut transmutationes differunt ab invicem, ita et subiecta. Sed alteratio non est generatio, nec augmentatio est generatio. Si tunc quantitates remanerent in materia apud generationem, tunc subiectum augmentationis esset subiectum generationis, quod est inconveniens.

Item arguebatur: quod numquam generaretur suppositum hominis vel asini simpliciter, sed secundum quid. Quandocumque aliquod ens existens in actu per formam substantialem recipit aliam formam realem manente prima forma, est generatio secundum quid. Sed per te³ forma animalis primo advenit materiae, antequam forma asini⁴ introducatur, et⁵ cum materia illa est ens actu per formam animalis, quae alia est in re a forma asini⁶, ergo generatio asini⁷ est generatio secundum quid.

4.

Ad quaestionem dicendum, quod significatum 'animalis' vel cuiuscumque alterius dictionis non potest probari per rationes a priori sumptas fidem inducentes. Nam significatum dictionis est praecognitio, et praecognitio praecedit omnem demonstrativam cognitionem, saltem complexam. Sed quod possit dictio sic significare, potest persuaderi⁸ ex signis⁹. Et loquor de significato animalis reali, non de significato eius intentionali, nec de ratione eius, sub qua significat, sed de natura reali, quam significat, quoniam¹⁰ planum est, quod significatum animalis non est significatum¹¹ intellectus sicut chimaera vel hircocervus.

Item nec significatum eius est accidens reale, nec intentionale, cum per se praedicatur de homine, qui est substantia, per illum¹² modum

1 sicut M om. P 2 substantiam U 3 se M 4 hominis M 5-6 om. M
7 hominis M 8 + secundum quod dicit philosophus M 9 significatis U
10 quod M 11 figmentum P 12 alium M

dicendi per se, qui dicitur modus secundum formam.

Propter hoc intelligendum est ulterius, quod omnis res extra intellectum habet esse significatum¹ et particulare. Nam omnis res materialis est unum numero. Et propter hoc dicit Averroes supra I. De anima, quod intellectus abstrahens facit universalitatem in rebus.^A Hoc idem dicit Avicenna in capitulo De ente, quod nisi res essent intellectu informatae, non esset genus in rebus.^B

Et ulterius intelligendum est, quod quamvis omnis quidditas praeter intellectus agentis actionem et possibilis receptionem sit² particulata et significata, tamen ipsa quidditas de sui natura non est particularis circumscripto intellectu. Immo in natura reali est invenire ipsam quidditatem, cuius est definitio. Et quia ista quidditas est aliqua natura realis secundum se praeter eius esse significatum, ideo istius naturae ut sic non est³ generatio, nec corruptio, sicut vult Philosophus VII. Metaphysicae, quia homo non generatur modo universali; quia si sic, generato uno homine generaretur omnis homo.^C Ergo illud, quod significat illam quidditatem, quae secundum se est aliqua natura, non significat rem intentionis tantum, nec rem significatam. Et ideo quamvis omnis res praeter intellectum sit particulata, et cum hoc dicatur, quod sit universalis, tamen⁴ non est universalis actu, sed solum in potentia. Quoniam quando intellectus considerat quidditatem rei praeter esse eius significatum et praeter omne id, quod est accidens quidditati, tunc intellectus facit illam quidditatem esse actu universalem. Ergo si intellectus considerat aliquam naturam realem, prout illa natura est per vocem significabilis, aut ergo⁵ significat eam unde significata est aut non unde significata est, sed unde sit aliqua natura secundum se.

Nunc est ita, quod 'animal' non significat quidditatem realem unde significata est. Quod probatur ex modo praedicandi eius, quia tunc non praedicaretur nisi de uno solo numero, et tunc animal non esset genus ad hominem et ad asinum, sicut apparet per definitionem generis, quia genus est, quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid.

'Animal' tunc significabit naturam non unde significata est. Aut

¹ Wir haben im Text die Form 'significatum' statt der üblichen 'signatum' verwendet, weil die angewandte Abbreviation dieselbe ist, und weil bisweilen aus der daraus entstandene Mehrdeutigkeit argumentiert wird. 2 fit M
3 + nec M 4 tunc B cum P 5 genus M

A De an. I c. 8 (ed. Crawford p. 12, 24-5).

B Met. V c. 3 (Ven. 1508 f. 88ra).

C VII, 1033a24sq.

significat naturam simplicem aut compositam. Nec intelligo illam naturam sic esse compositam ex ipsa quidditate et ipsa significatione, sed intelligo illam naturam esse compositam ex materia et forma.

Planum est, quod animal non significat naturam simplicem, quia si significaret naturam simplicem, aut ista esset forma aut materia. Non forma pura, quia tunc non¹ praedicaretur de composito, quia pars realiter non praedicatur de toto realiter, licet pars secundum rationem possit praedicari de toto.

Item nec significat materiam, quae est altera pars aggregati², quia tunc non praedicaretur in quid de specie. Ergo si significat³ aliquam naturam realem praedicabilem de homine et de asino, ista erit composita ex materia et forma.

Verumtamen si aliquis diceret, quod 'animal' nec significat hoc⁴, nec significat materiam tantum nec formam tantum, sed significat aliquam naturam realem, quae una est⁵ in homine et asino, quamvis tamen in utraque specie sit diversa, hoc tamen non est ex sui natura, sed per naturam hominis et asini, sicut natura humana una⁶ est realiter in Socrate et Platone, diversificata tamen per materiam tantum: istud tamen non valet, quia⁷ bene possibile est, quod una quidditas potest multiplicari in diversa secundum numerum et materiam⁸, non in diversa secundum quidditates, quia⁹ unum non debet dividi in multa multitudine opposita unitati, qua aliquid dicitur esse unum, ut unum numero non debet dividi in multa numero, ita¹⁰ una quidditas, ex hoc quod una est, non debet dividi in multas quidditates, quia tali unitati repugnat multitudo illa.

Item natura hominis non solum differt a natura asini per materiam, sed per quidditatem. Tunc si in homine et asino esset aliqua natura realis, quae secundum se esset¹¹ una, tunc homo et asinus haberent eandem quidditatem et differrent solum in materia, quod est inconveniens. Nam dicit Philosophus, quod genus secundum se est diversum in diversis in actu, non quia recipitur in diversis, est diversum, sed quia secundum se est diversum.^A Et ad istam intensionem dicit Philosophus VII. Physicorum, quod aequivocationes latent in generibus.^B

Ulterius sciendum, quod una quidditas in re diversos habet in mente

1 om. M 2 compositi M 3 significet PU 4 om.M 5 + secundum
se PU 6 unum BM 7 quoniam BU 8 + et M 9 quoniam BP
10 item M 11 est MP

A Met.X, 1o58a4-8.

B VII, 249a21-23.

conceptus, sicut apparet ad sensum, quia si aliqua substantia animata videatur a longe, in quantum incipit moveri motu¹ progressionis, tunc comprehenditur sub² conceptu animalis; in quantum autem illa eadem natura comprehenditur ut est principium ratiocinandi, tunc comprehenditur sub propria³ ratione hominis. Ista enim conceptiones non habentur nisi per rei operationes, quae accidentia vocantur. Et propter hoc dicit Avicenna, quod res aliqua debet definiri, quia definitio debet in se comprehendere omnem cognitionem definiti.^A Et quia sunt plures cognitiones, ideo debent esse plures partes in definitione, quarum quaelibet notificat definitum quantum ad aliquam eius cognitionem. Et quia una et eadem quiditas habet plures cognitiones, ideo potest diversis nominibus significari, ut nomine generis, speciei et differentiae, et sic non est ibi⁴ diversitas ex parte rei significatae, sed solum ex parte cognitionum per diversa apparentia⁵ acceptarum.

Nunc ad propositum: Aut 'animal' significat quiditatem hominis tantum vel asini tantum aut significat utramque quiditatem aut nullam. Dico quod 'animal'⁶ non significat quiditatem hominis tantum, quae solum in homine invenitur, sed etiam significat naturam asini, quae alia in re est a natura hominis.

Circa quod intelligendum est, quod aliquando per aliquod nomen significantur plures quiditates, non in quantum eadem sunt in re, nec in ratione, et sic significantur per nomen pure aequivocum. Et sic hoc nomen 'animal'⁷ non significat⁸ plures quiditates hominis et asini⁹, quia tunc 'animal' esset aequivocum ad ista, quod est falsum. Sed significat quiditatem et naturam realem, quae est in homine et asino, et tamen non significat¹⁰ prout hominis tantum, quia tunc non praedicaretur nisi de homine tantum, quod falsum est; nec significat quiditatem asini tantum, quia tunc praedicaretur tantum de asino, quod est inconveniens. Ergo 'animal' non significat diversas quiditates et distinctas prout diversae et distinctae sunt in actu, nec significat unam quiditatem tantum in actu, sed significat utramque quiditatem sub indeterminatione. Ista tamen indeterminatio non provenit secundum aliquam naturam realem unam in rebus, sed ex parte intellectus. Nam una quiditas non prout distincta est contra aliam quiditatem, immo

1 mota M 2 om. M 3 eadem M 4 in M 5 + de re PU 6 simul
M 7 nomen 'animal': modo BMP 8 + animal BP 9 + animal M
10 + eam BP

prout convenit cum alia in¹ quodam uno conceptu venit ad intellectum. Iste autem conceptus non magis determinatur² ad unam quidditatem quam ad aliam. Et ex hoc³ contingit, quod aequivocationes magis latent in generibus quam in specie specialissima, quoniam natura speciei specialissimae est una secundum se ut natura hominis est una in Socrate et in Platone⁴, diversificata tantum secundum materiam. Homo tamen et asinus in ipso⁵ animali non sunt unum⁶ secundum rem⁷ sed solum⁸ secundum rationem⁹. Et propter hoc dicit Commentator supra VII. Metaphysicae, quod universalialia sic sunt dicta, sic¹⁰ sunt intellecta, nec¹¹ tamen sic¹² habent esse,^A et praecipue universalialia, quae sunt genera. Hoc idem dicit Avicenna, quod genus est aliquod unum tantum secundum informationem¹³ intellectus.^B

Ulterius intelligendum, quod quia species specialissima¹⁴ sicut homo est¹⁵ natura realis una et per se et in cognitione una, ideo species specialissima pure univoca est, sed¹⁶ significatum generis non est unum in re actualiter, immo multa actualiter, sed solum in cognitione magis accedit ad univocationem¹⁷. Et propter hoc dicit Philosophus VII. Physicorum, quod aequivocationes latent in generibus,^C quia quidditates diversae significatae per nomen generis non significantur ut diversae et ideo latet aequivocatio.

Ulterius intelligendum est, quod sicut forma naturalis dat esse materiae mediantibus suis dispositionibus ad finem determinatum ordinatis¹⁸, ita impositio dat esse dictionibus sub suis modis significandi et intelligendi ordinatis¹⁹ ad finem, qui est veritas vel congruitas. Et²⁰ ideo 'anima' ex sui impositione et quodlibet genus habet, quod ipsum praedicatum de sua specie praedicat essentiam illius speciei tantum sub illo conceptu communi, in quo conveniebat cum quidditate alterius speciei, nisi agens extrinsecum adveniat²¹, de cuius natura est disponere terminum universalem pro omnibus illis, in quibus habet salvari, sicut est de signis universalibus.

1 cum M 2 determinat M 3 ex hoc: propter hoc BP propter hoc ex hoc
U 4 + vel M 5 om. M 6 idem MP 7 secundum rem: in re M
8 solummodo U tantum M 9 secundum rationem: in ratione M 10 sicut MU
11 non BU 12 sicut M 13 formationem M 14 + est BPU 15 om. BPU
16 quod M 17 unionem M aequivocationem BPU 18 ordinans M
19 ordinans M 20 om. BPU 21 advenerit PU et neutrum B

A *Locum non inventi*. Sed cf. Simon de Faversham, Sophisma 'Universale est intentio' (Med. Studies 31 (1969) 7) & Siger de Brabant, De aet. md. (ed. Bazan, Philosophes Médiévaux 13 (1972) 124,1-2. B Met. V,2 87va-b.
C VII,249a21-23.

5.

Ad illud, quod obicitur: aut 'animal' significat quidditatem hominis¹ tantum aut asini tantum² aut utramque aut nullam, dico tenendo mediam³ viam, quod 'animal' significat plures quidditates, quae distinctae sunt actu⁴ in re, non tamen secundum quod sunt⁵ distinctae in cognitione, sed secundum quod sunt unitae⁶ in cognitione, id est in conceptu mentis. Et quantum ad istum conceptum unum 'animal' est univocum homini et asino. Sed quantum ad rem significatam non est univocum. Et ad hoc intendens Philosophus VII. Physicorum dixit, quod aequivocationes latent in generibus.^A Et eodem modo respondendum est ad consimilia argumenta.

Et quando arguitur in contrarium: Illud, quod pradicatur de habente unam quidditatem, significat⁷ unam quidditatem⁸, verum est in re aut in cognitione. Et ideo 'animal' significat unam quidditatem in cognitione, etsi significat plures in re. Nam aliud est dicere, quod 'animal' habeat plures quidditates et quod⁹ significat plures quidditates. Nam plures quidditates, secundum quod non sunt distinctae, bene possunt facere unum significatum secundum unum conceptum. Nam unitas conceptus sufficit ad unitatem significationis. Et sic ad illud et¹⁰ per consequens ad¹¹ primum problema.

II

Ad illud quod ex primo sequitur¹², de gradibus in formis, dicendum, quod impossibile est ponere gradum in formis substantialibus hoc modo quod una sit completa et alia incompleta in eodem numero, quoniam primo oportet videre, quae sit ratio potentiae et ratio formae. Nam de ratione potentiae passivae est posse perfici, de ratione autem actus et formae est perficere et distinguere, sicut dicitur VII. Metaphysicae, quod actus est, qui distinguit et separat.^B Et in hoc convenit actus substantialis cum actu accidentali, quod quilibet distinguit et separat. Cum ergo tunc¹³ omnis forma substantialis distinguitur a forma accidentali sicut substantia distinguitur contra accidens, sed substantia est ens simpliciter, et accidens est ens secundum quid, ita forma quaelibet substantialis quantumcumque

1 om. M 2 asini tantum: asinitatem M 3 meam M 4 actualiter M
 5 om. M 6 univoce M 7-8 om. M 9 om. M 10-11 om. M
 12 + scilicet U 13 Cum ergo tunc: cum autem P tunc BU

A VII, 249a 22-23.

B VII, 1039a7.

sit incompleta, dabit esse substantialiter illi cui est forma, et ideo forma prima substantialis adveniens dat esse primum, et hoc est esse simpliciter; et omnis alia forma posterius adveniens dabit esse accidentaliter¹.

Quod autem non possit poni gradus in formis substantialibus ostenditur istis rationibus^A:

Quaecumque attribuuntur alicui uni secundum diversas formas, praedicantur de se invicem per accidens, sicut dicimus quod album est musicum per accidens, quia Socrati accidit albedo et musica. Si igitur anima intellectiva et sensitiva et nutritiva sunt diversae virtutes aut formae in nobis, tunc ea, quae secundum has formas nobis conveniunt, praedicantur de se invicem secundum accidens. Sed secundum animam intellectivam dicimur² homines, secundum sensitivam animalia, secundum nutritivam viventia. Erit igitur haec praedicatio per accidens 'homo est animal' vel 'animal est vivum'. Est autem per se; nam homo secundum quod est homo, est animal, et animal secundum quod est animal, est vivum. Est igitur aliquis ab eodem principio homo, animal et vivum.

Si autem dicatur, quod etiam praedictis animabus diversis existentibus non sequitur praedictas praedicationes esse per accidens eo quod illae animae ad invicem ordinem habent: hoc iterum removetur. Nam ordo sensitivi ad intellectivum, et nutritivi ad sensitivum, est sicut ordo potentiae ad actum: nam intellectivum sensitivo, et sensitivum nutritivo posterius secundum generationem est; prius enim in generatione fit animal quam homo. Si igitur iste ordo facit istas praedictas praedicationes esse per se, hoc non erit³ secundum illum modum dicendi per se qui accipitur secundum formam, sed secundum illum modum qui accipitur secundum materiam vel subiectum, sicut dicitur superficies colorata. Hoc autem est impossibile, quia isto modo dicendi per se illud quod est formale, praedicatur per se de subiecto: ut cum dicimus 'superficies est alba' vel 'numerus est par'. Et iterum hoc modo dicendi per se subiectum ponitur in definitione praedicati: sicut numerus in definitione paris. Ibi autem e converso accidit; non enim per se praedicatur homo de animali, sed e converso: et iterum non ponitur subiectum in definitione praedicati, sed e converso. Non

¹ *expl.* P *istis verbis additis*: ista ultima instantia est falsa sicut diabolus. ² dicuntur BU ³ est BU

A Quae sequuntur hausta sunt ex Summa contra Gentiles Sancti Thomae Aquinatis II,58.

igitur praedictae praedicationes dicuntur per se ratione dicti ordinis.

Praeterea: ab eodem aliquid habet esse et unitatem. Unum enim consequitur ad ens. Cum igitur unaquaeque res habeat a forma esse, a forma etiam habebit unitatem. Si igitur in homine ponantur¹ plures animae sicut diversae formae, homo non erit unum ens, sed plura.

Nec ad unitatem hominis ordo formarum sufficiet, quia esse unum secundum ordinem non est esse unum simpliciter, cum unitas ordinis sit minima unitatum.

Iterum redibit praedictum inconueniens adhuc ut scilicet ex anima intellectiva et corpore non fiat unum simpliciter, sed secundum accidens tantum. Omne enim quod alicui advenit post esse completum, advenit ei accidentaliter, cum² sit extra essentiam eius. Quaelibet autem forma substantialis facit ens completum in genere substantiae. Facit enim ens actu et hoc aliquid. Quidquid igitur post primam formam substantialem advenit rei, accidentaliter advenit. Cum igitur³ anima nutritiva sit forma substantialis, vivum enim substantialiter praedicatur de homine et de animali, sequitur quod anima sensitiva adveniat accidentaliter, et similiter intellectiva. Et sic neque animal neque homo simpliciter significat vivum, neque aliquod genus neque species erunt in praedicatione substantiae.

Adhuc ex duobus vel pluribus non potest fieri⁴ unum, si non sit aliquid uniens, nisi unum eorum⁵ se habeat ad alterum ut actus ad potentiam: sic ex materia et forma fit unum <nullo> vinculo extraneo eas colligente. Si autem in homine sint plures animae, non se habent ad invicem sicut materia et forma, sed omnes ponuntur ut actus quidam, et principium actionum. Oportet igitur, si uniantur ad faciendum aliquid unum, puta hominem vel animal, quod sit aliquid uniens. Hoc autem non potest esse corpus, cum magis corpus uniatur per animam; cuius signum est, quod discedente anima corpus dissolvitur. Relinquitur igitur, quod oportet aliquid formalius⁶ esse quod faciat ex illis pluribus unum. Et hoc magis erit anima quam illa plura quae per ipsam uniuntur. Si igitur hoc iterum est habens partes diversas et non est unum secundum se, oportet adhuc aliquid esse uniens. Cum igitur non sit abire in infinitum, oportet⁷ devenire ad aliquid quod sit secundum se unum. Et hoc maxime est anima. Oportet igitur in uno homine vel animali unam tantum animam esse.

¹ ponuntur M ² ut M ³ om. MU ⁴ + aliquid M ⁵ om. M
⁶ formaliter M ⁷ + de necessitate M

Amplius: diversae vires quae non radican-
 tur in uno principio, non impediunt se
 invicem in agendo, nisi forte earum actiones
 essent contrariae, quod in proposito non
 contingit. Videmus enim, quod diversae
 operationes animae impediunt se. Cum enim
 una est intensa, altera remittitur. Oportet
 igitur, quod istae actiones et vires, quae
 sunt earum proxima principia, reducantur
 in unum principium. Hoc autem principium
 non potest esse corpus: tum quia¹ aliqua
 actio est, in qua non communicat corpus
 scilicet intelligere; tum² quia, si principium
 harum virium et actionum esset corpus in
 quantum huiusmodi, invenirentur in omnibus
 corporibus, quod patet³ esse falsum. Et sic
 relinquitur, quod sit principium earum
 forma aliqua una, per quam hoc corpus est
 tale corpus. Quae est anima. Relinquitur
 igitur, quod omnes actiones animae, quae
 sunt in nobis, ab ipsa una⁴ procedunt. Et
 sic in nobis non sunt plures animae.

Huic autem consonat, quod dicitur in libro
 De ecclesiasticis dogmatibus: "Nec duas
 animas credimus esse in uno homine, unam
 animalem, qua animatur corpus, et immixta
 sit sanguini, et alteram spirituales, quae
 rationem ministrat: sed dicimus unam et
 eandem esse animam in homine, quae
 et⁵ corpus sua societate vivificat, et
 semetipsam sua ratione disponat".^A

"Sicut^{6B} actio facit scire formam, sic
 transmutatio facit scire materiam. Sed si
 in eodem essent plures formae substantiales⁷,
 non esset probata natura⁸ materiae primae,
 quia semper ante quamlibet formam esset
 alia forma, quod est inconveniens. Item:
 generatio, quae est terminus alterationis,
 est in instanti. Sed si essent plures
 formae substantiales in eodem, ipsa
 generatio esset in⁹ tempore, quia oportet¹⁰,
 quod fieret¹¹ gradatim, quod tamen falsum est."

"Oppositum arguitur¹², quod prius tempore
 vel¹³ natura¹⁴ vivit vita plantae quam
 animalis, prius habet formam quae est corpus
 animatum quam¹⁵ qua est animal vel homo.
 Sed Socrates est huiusmodi per Aristotelem
 XV. De animalibus.^C Ergo et cetera.

Item: quaecumque differunt sicut completum
 et incompletum substantias¹⁶ realiter
 significantia diversas formas substantiales
 important. Sed genus et differentia¹⁷ sunt
 huiusmodi sicut apparet ex VIII. Metaphysicae,

1 tunc M	quia tunc B	2 om. BM	3 apparet M	4 + anima U	5 om.
MU	6 + enim B	7 om. M	8 om. M	9 + eodem M	10 oportet M
11 fiat M	12 om. BM	13 vivit M	14 + embrio M	15 om. BM	
16-17 substantias-differentia om. M					

A. c. XV, PL 42, 1216 Hic desinit extractum ex S. Thoma. B Argumenta
 quae sequuntur ex Iohanne Daco sumpta sunt cf. De gradibus formarum p.
 519, 5-9; 17-20. p. 520, 11-521, 10. C 778b 34-5 (?).

ubi dicitur, quod sicut in re definibili est aliquid habens rationem potentiae et aliquid rationem actus, ita in definitione genus tenet locum potentiae, differentia locum actus.^A Sed constat, quod genus non habet rationem potentiae purae nec rationem completi actus. Ergo et cetera.

Item: anima sensitiva in homine aut est pura potentia aut actus specificus aut potentia permixta actui sive forma mediata. Sed constat, quod non est potentia pura, quia materia, cuiusmodi est pura potentia, non est cognoscitiva seu receptiva specierum sensibilium, sed magis ipsorum sensibilium. Nec est actus speciei, puta hominis vel cuiuscumque talis. Quare relinquitur, quod erit forma mediata. Unde sensus est forma subiecti quod informat in potentia tamen existens respectu formae specificae nec¹ non specierum sensibilium. Ideo et cetera.^B

Ad primum, quod obicitur², quod prius tempore³ vivit vita plantae quam vita animalis, prius habet formam, qua est corpus vivum, quam formam, qua corpus est animal, dico quod vivere tribus modis est. Uno modo est vivere idem quod⁴ mos vel modus vivendi vel regimen⁵ vitae, sicut dicit in I. Metaphysicae, quod quaedam animalia, vivunt sola imaginatione, sed genus hominum vivit ratione et arte.^C Alio modo dicitur vivere idem⁶ quod esse in viventibus, sicut dicit Philosophus II. De anima, quod vivere viventibus est esse.^D Tertio modo dicitur vivere idem quod operatio vitae, sicut scribitur in II. De anima, quod anima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis,^E id est operationem vitae. Et tunc ad maiorem dicendum est, quod vita ibi accipitur pro operatione vitae et non pro substantia animae. Unde operationes animae vegetativae et sensitivae potentiae sunt priores in nobis tempore quam intellectivae, quia intellectus quantum ad suam operationem dependet ex sensibus. Et hoc apparet, quoniam intellectus noster est in potentia intelligens et in hoc distinguitur⁷ ab intellectu primi, qui semper est in actu. Nam natura nihil facit frustra, nec deficit in necessariis, sed facit rem ut possibile est devenire ad suum finem. Sed finis intellectus nostri est intelligere, quod est operatio eius, et devenire de se non potest in hunc finem nisi per intellectum agentem, et intellectus agens non potest facere intellectum possibilem in actu nisi sint phantasmata et phantasmata non sunt nisi sit

1 et B 2 dicitur BU 3 + embrio M 4 idem quod: quod B quidam M
5 regnum BM 6 om. B 7 differt M

A *Locum non inveni.* B Hic desinit extractum ex Iohanne Daco. C I,
98ob 26-28. D 413a 22-23. E II, 412a 27-28

virtus phantastica quae est receptiva eorum, de qua virtute scribitur a Philosopho II. De anima, quod phantasia est motus factus a sensu in actu,^A id est post sensum; et phantastica non sunt nisi post receptionem specierum sensibilium in sensibus, qui sensus sunt potentiae sensitivae; et sic quantum ad operationes potentiae sensitivae sunt priores tempore in nobis, et ideo illa ratio non concludit.

Ad aliam rationem quando dicitur quod quaecumque differunt secundum completum et incompletum substantias significantia, significant diversas formas. Illa maior falsa est. Nam completum et incompletum non diversificant speciem sicut dealbatio et album. Et propter hoc dicitur, quod motus est de genere perfectionis, ad quam¹ est motus.

Ulterius potest² dici, quod quaecumque secundum completum et incompletum differunt, ita quod completio et incompletio in substantia eorum esset, significarent diversas formas. Sed sic genus et differentia non differunt secundum completum et incompletum, ita quod completio et incompletio essent in substantia eorum. Sed essentia³, quae importatur nomine generis ut est principium operationis communioris dicitur esse incompleta ad se ipsum in quantum est principium operationis magis determinatae. Et sic ad illud.

Ad tertiam, quando arguitur: anima sensitiva in aliquo aut est potentia pura aut actus purus vel⁴ specificus aut est potentia permixta actui, dico, quod anima sensitiva in bruto est actus specificus eius, in homine autem est potentia ipsius animae, et⁵ anima disponitur vel habens animam ad receptionem specierum sensibilium. Et sic ad illud.

Ad aliud cum arguitur: effectus^B univocus arguit causam univocam. Sed calor unius rationis est in aere et in igne. Ergo est natura eadem in aere et in igne quae sit principium caloris, dico, quod calor in aere et in igne non est unius rationis, quoniam vult Aristoteles in II. De generatione, quod calidum agit sicut organum formae substantialis.^C Nunc est ita, quod forma substantialis ignis, in cuius virtute agit calidum ignis, intendit formam substantialem ignis, quae alia in specie est a forma substantiali aeris quam intendit calidum aeris, quod agit in virtute formae substantialis aeris. Et cum istae formae, quae finaliter intenduntur

1 quem B 2 debet M 3 sed essentia: secundum essentiam M 4 purus
vel: om. M 5 qua U

A II, 428b 10. B Argumenta ad quae in sequentibus respondetur non inveniuntur in textu Sophismatis. C II, 336a 1-12 (?).

a calido ignis et aeris, sunt diversae secundum speciem, calidum intendens hanc formam aliam in specie erit diversum a calido intendente aliam formam in specie. Et propter hoc dicit Themistius super II. Caeli et mundi, quod gravitas in terra et in aqua non est unius rationis.^A

Ad aliud, cum dicitur: sentire in homine et in asino est unius rationis, nam obiectum potentiae sensitivae in homine et in asino est idem. Ergo anima sensitiva in homine et in asino est unius rationis, quia unitas potentiae sumitur ex unitate obiecti, dicendum est ad hoc, quod eadem est potentia sensitiva in homine et in asino secundum speciem, non tamen sequitur quod anima sensitiva in homine et in asino secundum speciem sit una, quia sicut in una forma simplici possunt esse plures potentiae diversarum specierum, sicut in anima intellectiva sunt diversae potentiae secundum speciem ut recipere et agere, ita in diversis essentiis secundum speciem possunt esse eadem potentiae secundum speciem.

Circa quod intelligendum est, quod potentia animae accidens est, qua¹ ipsa anima vel habens animam disponitur ad receptionem specierum sensibilium et est ista potentia quidam actus in se accidentaliter². Propter hoc intelligendum, quod quoddam est accidens, quod consequitur materiam antequam subiecta est forma ut³ quantitas; quoddam est accidens, quod consequitur formam vel aggregatum ratione formae⁴ ut accidens proprium sicut risibile sequitur hominem; et quoddam est accidens, quod causatur in ipso aggregato ab agente sicut forte a potentia animae ut⁵ capitis crispitudo et cetera. Et sic patet ad illud.

Ad aliud de generatione: natura nihil facit frustra. Ergo si produceret aliquas formas prius in materia et postea eadem⁶ corrumpentur per adventum alterius formae, tunc natura ageret aliquid frustra, dicendum, quod non valet, quoniam illud dicimus esse frustra, quod natum est includere finem et non includit illum. Nunc est ita, quod agens principale finaliter intendit formam sibi similem in specie generare, ita quod utitur forma sua propria sicut agente principali et suis dispositionibus sicut organis et dispositionibus materiae, non solum passivis, sed activis, sicut apparet de igne, cum intendit finaliter generare formam ignis in materia terrae; disponit materiam terrae per ipsam caliditatem remittendo frigiditatem terrae, et tunc generatur forte aqua⁷, quae minus frigida est.

1 quia B quo U 2 accidentaliter M 3-4 om. M 5 vel BMU 6 illae B om. U 7 forte aqua: forma terrae similiter aqua M

Ulterius: ignis¹ disponit materiam eandem calefaciendo ipsam magis et tunc generatur aer; ulterius ignis calefacit materiam aeris intendendo caliditatem usque ad illum gradum, sub quo nata est salvari forma ignis, ita quod omnes istas generationes medias facit ignis propter generationem suae formae. Non enim omne, quod ordinatur ad aliquem finem debet manere simul cum illo fine in esse. Nam motus ordinatur finaliter propter formam acquirendam per motum, et forma illa acquisita corrumpitur motus sicut patet in I. De generatione in capitulo de activis et passivis, quod habitibus autem existentibus in materia non adhuc generatur aliquid, sed iam est.^A

Ratio omnium istorum est brevis quoniam omnis forma naturalis, existens in materia, hic habet gradum determinatum respectu suarum dispositionum, ultra quem vel citra quem non est nata salvari. Et² ideo agens intendens aliquam formam finaliter disponit materiam habentem aliam formam ultra vel citra illum gradum respectu dispositionum, in quo non est nata salvari,³ illa forma existens prius in materia corrumpitur sicut apparet de igne respectu aeris et e converso. Nam formae propinquiores formae corrumpendae prius producuntur in materia. Et ita intelligendum de formis mixtorum.

Item ad aliam rationem: homo generat hominem et sol. Et planum est, quod intellectus non generatur per solem, nec per hominem, quoniam ab extra est, dicendum, quod homo et sol dicuntur generare hominem, in quantum disponunt materiam removendo dispositiones contrarias sub dispositionibus, sub quibus natus est intellectus humanus esse perfectio corporis. Et propter hoc nihil ad propositum.

Ad aliud: unum et idem corpus in numero manet post corruptionem formae hominis, et similiter de figura et cicatricibus, dicendum, quod non remanet idem corpus numero nisi in potentia—sicut dicit Aristoteles VIII. Metaphysicae, et in fine IV. Meteorum, quod manus mortui non est manus, caro non remanet nisi aequivoce.^B Magis tamen hoc apparet in manu quam in carne, quia operatio manus notior est nobis quam operatio carnis,—et quod materia manet unum numero et hoc aliquid in potentia, non in actu. Et arguitur sic: corrupta forma hominis per te corpus hominis mortui manet unum et idem numero. Item: corrupta forma asini manet corpus asini idem numero. Sed quaero, tunc utrum ista duo

¹ in istis M 2-3 om. M

A I, 324b 17.

B VII, 1035b 24-5 Meteor. IV, 389b 31

corpora sint unum specie et diversa numero, vel sunt diversa specie et unum genere? Si sunt unum specie solum, sequitur, quod corpus non est genus ad ista, quod est inconueniens. Si sunt unum genere et diversa specie, ergo necesse est, quod quodlibet istorum corporum habet formam, per quam distinguitur ab alio. Et sic corrupta forma hominis et asini generabuntur aliae formae, per quas ista corpora distinguuntur, quia in natura corporis non sunt distincta.

III

Der letzte Teil des Sophismas wird durch die Worte eingeleitet:

Post praedicta omnia ponamus positionem per quam quidam ponunt gradum in formis. *Es handelt sich um einen Exzerpt aus der Schrift De unitate formae des Aegidius von Lessines (ed. M.de Wulf, Les Philosophes Belges I, 1901), und zwar unter Berücksichtigung aller philosophischen Argumente, während die theologischen ausser Acht gelassen werden. Obwohl dabei einiges von Wert für die Textkonstituierung geboten wird, würde es zu weit führen, den ganzen Text hier zu edieren. Wir begnügen uns deshalb mit der folgenden Synopsis des Inhaltes:*

Aeg.v. Lessines	B	M	U
ed. M.de Wulf			
p. 5,3-11,21	73v-75r	45vb-46rb	83ra-83va
p. 22,5-24,19	>	75r-76r	46rb-46va
p. 26,1-27,33			
p. 55,6-57,12	>	76r-77r	46va-47ra
p. 60,3-63,19			
p. 63,20-64,16	>	77r-78v	47ra-47rb
p. 67,1-71,21			
p. 71,22-79,3	÷	47rb-47vb	÷

KOLLATIONEN ZUM SOPHISMA "EORUM QUAE SECUNDUM NULLAM
 COMPLEXIONEM DICUNTUR" DES JOHANNES DE DACIA
 [CORP.PH.DAN.MED.AEV.I, 1955, S.515ff]

Das zweite Sophisma der Uppsala Handschrift ist ein neuer Zeuge für das schon edierte Sophisma des Johannes de Dacia. Von der ersten Quaestio dieses Sophismas, die sich mit den "gradibus formarum" beschäftigt, kennen wir jetzt 7 Handschriften von denen nur 3 zur Zeit der Edition bekannt waren. Die neuen Handschriften sind:

Basel, UB, F IV 18 ff.61-68, s.XV

Mantova, BC, III D 19 f.4, s.XIV

Nürnberg, SB, Cent. V 21 ff.77vb-79rb, s.XIV

Uppsala, UB, C 604 ff.84vb-90va, s.XIV

Die neuen Handschriften bieten nichts was den Text der Edition wesentlich verbessert. Deshalb sehen wir hier von einer Ausgabe der Kollationen ab. Die Uppsala Handschrift bietet aber auch den Text der zweiten Quaestio und den Anfang der dritten, wo bis jetzt nur ein Textzeuge bekannt war. Deshalb werden hier die wichtigsten Variante zu diesem Teil veröffentlicht, weil sie an mehreren Orten den korrekten Sinn des Textes restituieren. Die Lemmata verweisen auf den Text. Wo U mit dem Editor (gegen den Text der Budapester Handschrift) übereinstimmt wird das nicht eigens erwähnt.

p.544

19 *accidentalem*: + Sed non dicimus materiam esse accidens. Ergo etiam nec materia diceretur substantia ex eo, quod est in potentia ad formam substantialem. U.

22-23 *Sed-materia*: Sed esse substantiam in potentia est dictum secundum quid et conditione diminuente. Ergo si esse substantiam in potentia dicatur de materia U.

32 [*esse*]: esse U.

p.545

5 *idem*: ibidem U

17 *est*¹: + immo alia sunt in ipsa U.

29 *igitur*: vero U.

p.546

29 *termino*: terminorum transmutationis U.

p.547

13 penetrare: penetrari U.

22 reperire: recipere U.

24 susceptibilis est: + corporis et per consequens susceptibilis est U.

32-34 designabilis-in loco: desinibilis (!) in loco aut non. Si est designabilis in loco, cum illud quod realiter designatur in loco U.

p.548

4 tum-etc.: tum possit duci linea, sequeretur quod ad materiam possit duci linea, quod cum falsum sit, ideo etc. U.

10-11 loco-loco: loco aut in nullo aut in uno [aut] et non in alio.

Si dicatur quod accipiat eam in omni loco, cum non sit causa, quare accipiat eam in omni loco nisi quia ipsa materia est in omni loco U.

34 uniuntur: uniantur U.

p.549

1 unite: unita sunt U.

5 una: altera U.

13 autem: habet U.

p.550

5-6 manifestum est-actu: manifestum est quod transmutatio est de intellectu materie nec forma nec effectus nec suum simile, quia unumquodque istorum differt a materia per essentialiter. Materia igitur secundum se nichil actu est. Ergo non est substantia in actu.

Nona et ultima ratio est, que attenditur penes contradictionis implicationem. Quia quod est substantia in actu secundum se, per se existit separatum ab omni alio, quod dat esse substantialiter. Ergo si materia est substantia in actu secundum se, per se existit sine omni forma. Sed illud, quod aliquid est actu, hoc est forma; quare si materia secundum se non includit formam aliquam, manifestum est, quod materia secundum se non existit in actu U.

12-13 Item-Ergo: Item, que cum omnia sint impossibilia, ergo U.

28 actu [nec in actu]: actu nec in actu U.

p.551

3 materia-[est]: materia prima nec est U.

11 multiplex: multipliciter U.

20 actu: + Ergo substantia cum primo fiat, ex materia et forma et non ex nichilo <fit> nec est ente in actu U.

21 [igitur]: igitur U.

p.552

2o [primo]: primo U.

3o substantialium: substantiarum U.

p.553

1 [est]: est U.

4 aliquod est seminis: seminis est aliquid U.

5 [sit]: est U.

6 Unde: ut U.

7 spermate: + hominis U.

9 [pura]: pura U.

24 substantialem: + speciei U.

28 proprietates: + substantiales U.

p.554

18 [illud, quod] habet: hunc U.

27 substantie: + scilicet per modum entis non in alio, ut albedo, nigredo etc., que non significant substantias sed per modum substantie. U.

29-3o modum-substantiale]: modum materia non prima bene habet modum substantie et est aggregatum ex forma substantiali et ex materia U.

32 materia: + prima U.

33 [est]: est U.

p.555

1o [vel immediate]: vel per se et immediate U.

24 [prima]: prima U.

29 [est]: est U.

32-33 in actu-accidentaliter: per formam autem accidentalem fit ens secundario, ita quod ens tale secundum quid. U.

p.556

2o [id est]: vel U.

in: a U.

23-24 [est-autem]: est ens per se, accidens U.

p.557

2 omnium respectu: respectu omnium U.

1o quam: materiam U.

24 et mensura: mensuratorum U.

25-26 principium: + essendi et U.

29 primum: + et minimum U.

32 mensura-quia]: mensura seu minimum respectu omnium que sunt. Maior patet, quia U.

34 quod: quia U.

p.558

1 [recipit predicationem substantie]: est substantia U.

4-5 [unum-huiusmodi]: unum non est mensura alterius. Sed materia et forma sunt distincta per essentiam et unum non reducitur ad alterum U.

14 substantie: *reliqua desunt in U*

ANONYMUS

Sophisma "Homo est animal rationale"

Uppsala C.6o4 f.9ora-92vb

Das dritte Sophisma der Uppsala Handschrift ist aus anderen Quellen nicht bekannt. Der Text ist unvollständig und ohne Angabe des Verfassers. Wichtig für die Datierung ist der enge Anschluss an die Quodlibeta des Heinrich von Ghent, besonders an das IV. Quodlibet aus dem Jahre 1279.

HOMO EST ANIMAL RATIONALE. Hoc est sophisma, circa quod tria quaerebantur. Primum est, utrum animal et rationale posita in definitione hominis, videlicet¹ genus et differentia, significant unam et eandem naturam vel significant naturas diversas. Secundum erat, utrum necessarium sit omnem definitionem constare ex pluribus nominibus. Tertium erat, utrum idem modus sit definiendi quoad logicam et physicam et metaphysicam, videlicet modus definiendi per genus et differentiam.

I.

De primo arguitur, quod genus et differentia non significant eandem naturam. Quoniam si ita esset, genus per se praedicaretur de differentia. Consequens est falsum, ergo et antecedens. Falsitas consequentis apparet per Philosophum IV. Topicorum, qui dicit, quod si genus per se praedicaretur de differentia, sic unum animal esset multa animalia.^A Consequentia

¹ videlicet: videtur quod U

A IV, 144a 36-37.

probatur, quia Philosophus vult I. Posteriorum, quod per se insunt alicui quaecumque insunt in ratione dicente 'quid¹ est' illius.^A Sed posito quod genus et differentia significant eandem rem, tunc idem, quod importatur per genus, importaretur per differentiam, et sic unum cadet in ratione dicente 'quid est' alterius. Quare unum per se praedicaretur de altero, videlicet genus de differentia.

Praeterea arguebatur sic: si genus et differentia importarent eandem naturam, tunc nugatio esset in definitionibus. Consequens est falsum, ergo antecedens. Falsitas consequentis apparet per Philosophum IV. Metaphysicae, qui vult, quod nisi in definitione ultima differentia includeret omnes differentias praecedentes, nugatio esset in definitionibus.^B Et in hoc stat Philosophus tamquam in inconvenienti ibidem. Consequentia probatur: Philosophus vult I. Elenchorum, quod nugari est idem dicere frequenter.^C Sed posito, quod genus et differentia eandem naturam importarent, tunc addendo immediate unum alteri [et] idem diceretur frequenter. Ergo ex tali additione immediata causaretur nugatio. Sed in definitionibus differentia immediate additur generi. Ergo in definitionibus esset nugatio, et improbatur consequentia quae proponebatur.

Oppositum tamen arguitur: Si genus et differentia in definitione importarent naturas diversas, tunc importarent formas substantiales diversas, quia omnes partes definitionis formae sunt. Sed ex diversis formis substantialibus non fit unum substantialiter et per se. Ergo ex diversis partibus definitionis non fieret unum substantialiter et per se. Hoc autem falsum est et contra Philosophum VII. Metaphysicae, ubi dicit, quod definitio non est una nec aliquid unius quemadmodum Ilias est unum, sed definitio est aliquod unum et alicuius unius per se.^D Minor apparet, videlicet quod ex diversis formis substantialibus non fit unum substantiale per se. Nam omnis forma substantialis dat esse substantiale, sicut omnis forma accidentalis dat esse accidentale. Ubi ergo sunt plures formae substantiales, ibi necessario sunt plura esse substantia. Ubi autem sunt plura esse substantia, oportet quod sint plura substantialiter. Esse enim substantiale uniuscuiusque rei idem est substantialiter quod ipsa res ut probatur IV. Metaphysicae.^E Ergo ubi sunt plures formae substantiales, ibi sunt plura [esse] substantialiter. Quare ex diversis formis substantialibus non fit unum substantialiter. Et hoc erat minor.

¹ quia U

A I, 73a 34-35. B VII, 1o38a 18-21. C 165b 15. D VIII, 1o45a 12-14. E IV, 1oo7a 26-27(?) *potius* VII, 1o31a 28-29 & 1o31b 19-2o.

Item: declaratur aliter minor per rationem quandam adductam contra tenentem, quae talis est. Sicut uni homini correspondet hoc unum esse humanum, sic¹ uni substantiae correspondet tantum unum esse substantiale sive fuerit completum sive incompletum. Sicut enim ubi sunt plures albedines, ibi sunt plura alba necessario actu, sic ubi sunt plures formae substantiales et plura esse substantialia, ibi necesse est esse plures substantias actu. Ubi autem sunt plures actus substantiales vel substantiae, ibi sunt plura per se actu entia. Et ubi sunt plura per se actu entia, ibi sunt plura supposita substantialia. Ergo a primo ad ultimum: ubi sunt plures formae substantiales et plura esse substantialia, ibi erunt plura supposita subiecto secundum actum, licet unum suppositum fuerit completius, alterum autem incompletius. Sed impossibile est, quod Socrates sit plura supposita secundum actum quantumcumque unum fuerit completius vel perfectius, alterum imperfectius. Vel enim oportet, quod Socrates secundum se totum esset quodlibet istorum aut secundum aliud unum et secundum aliud aliud. Et primum est impossibile, quia sic idem et secundum idem esset diversa supposita secundum actum. Nec secundum etiam est possibile, quia tunc Socrates secundum se totum non esset aliquid unum nisi aggregatione sicut acervus lapidum vel hydromel, quod est compositum ex aqua et melle. Ergo Socrati et unicuique substantiae alteri correspondet tantum una forma substantialis sicut unum esse substantiale, quod erat propositum nostrum. Igitur ex diversis formis substantialibus quantumcumque una fuerit completa, altera incompleta, non potest fieri unum substantialiter sicut suppositum de genere substantiae debet esse unum substantialiter. Et hoc erat minor primae rationis, quam volebamus declarare.

De sophismate isto sunt opiniones sollemnes. Una est opinio, quam volebat sustinere tenens (?)², videlicet quod genus et differentia significant naturas diversas. Et tres sunt rationes, quae ab aliquibus assignantur pro opinione ista.

Una est sumpta ex dictis Philosophi VII. Metaphysicae, capitulo illo: "quoniam autem definitio ratio est" et cetera. Ibi dicit Philosophus, quod sicut tota definitio se habet ad totam rem, sic partes definitionis se habent ad partes rei.^A In quo Philosophus videtur innuere, quod sicut

1 vel U 2 cās U

tota definitio exprimit totam rem, sic partes definitionis distincte exprimunt diversas partes rei sive diversas partes reales distincte. Cum ergo genus et differentia constituent diversas partes definitionis, sequitur, quod genus et differentia distincte exprimunt diversas partes reales definiti, ita quod genus solum exprimat unam partem, differentia vero aliam. Genus igitur et differentia important diversas naturas.

Secunda ratio est, quia cum quod-*quid-est* sit obiectum intellectus et obiectum intellectus sit quod-*quid-est* rei, illa, quae sunt distincta obiecta intellectus, important distincta quod-*quid-est*. Sed genus et differentia, puta animal et rationale, sunt distincta obiecta intellectus. Possum enim intelligere animal secundum quod animal, non intelligendo rationale secundum quod rationale et e converso. Ergo animal secundum quod animal et rationale secundum quod rationale <sunt> huiusmodi et important diversa et distincta quod-*quid-est*. Ergo et cetera.

Tertia ratio est haec: Intentiones, quas considerat logicus, fundantur supra res, quas considerat metaphysicus. Ergo diversae intentiones debent fundari supra diversas res. Sed diversa est intentio generis et intentio differentiae. Ergo diversae erunt res, supra quas fundantur intentio generis et intentio differentiae. Et per consequens alia est res importata nomine unius et alterius.

Istae rationes non videntur concludere.

(1) Cum enim dicit primo, quod "sicut tota definitio ad totam rem se habet et cetera", dicendum, quod est ut sic et est ut non. Est ut sic pro tanto, quia sicut tota definitio exprimit rem totam, id est rem quantum ad omnem eius rationem generalem et specialem, per quam essentialiter videtur cum aliis convenire et per quam ab aliis essentialiter differt, sic diversae partes definitionis distincte exprimunt diversas partes rationis, ita quod genus exprimit unam partem rationis speciei, differentia autem aliam, et ambae istarum rationum aggregantur in ipsa ratione speciei, quae distinguitur per genus et differentiam; et ista duo, genus videlicet et differentia dicunt partes rei secundum similitudinem quandam. Sicut enim diversarum partium realium una est materialis et incompleta, alia formalis et completa, sic diversarum rationum, quae importantur nomine generis et differentiae: Ratio generis est quasi ratio materialis et incompleta, ratio autem differentiae est quasi formalis et completiva et determinativa rationis generis secundum intellectum, sicut forma est determinativa materiae secundum rem.

Item: dicuntur partes rei, quia licet non sint diversae res, sumuntur tamen a diversis rebus, sicut animal sumitur a sensitivo, rationale vero ab intellectivo, quae quidem sunt diversae res, secundum quod in diversis inveniuntur speciebus, secundum autem quod inveniuntur in una specie, sunt res una. Igitur apparet, quo modo hoc verum est, quod "sicut tota definitio ad totam rem et cetera".

Non autem veritatem habet alio modo, videlicet quod diversae partes definitionis exprimant diversas partes reales definiti, quia Philosophus vult VII. Metaphysicae, quod si in definitione aliqua ponantur plures differentiae, differentia¹ ultima et finalis concludit in se omnes differentias praecedentes.^A

Dicamus ergo sic: homo est substantia animata, sensibilis, rationalis; oportet quod rationale includat in se sensibile. Sed per sensibile reportatur aliquid in genere animalis. Rationale ergo realiter includit id, per quod animal est animal. Eadem ergo res importatur nomine animalis et nomine rationalis. Ergo ex praedicta auctoritate Philosophi non debet concludi, quod genus et differentia important res diversas, sed quod important diversas rationes eiusdem rei.

(2) Cum autem arguitur secundo: "illa quae sunt distincta obiecta intellectus, important distincta quod-*quid-est*," concedatur. Et cum dicitur in minori: "genus et differentia sunt distincta obiecta intellectus", concedatur. Et ideo sequitur conclusio, quod important diversa quod-*quid-est*. Sunt tamen res una et natura una.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod idem secundum rem dicitur ens, natura et quod-*quid-est*, differens solum secundum rationem. Dicitur enim 'ens', secundum quod habet esse; quod quidem esse competit alicui secundum quod ad ipsum terminatur actio alicuius agentis dantis sibi formam. Dicitur autem 'natura' ratione principiorum essentialium, ex quibus est. Et illud idem dicitur 'quod-*quid-est*' per respectum ad intellectum. Modo bene possibile est, quod illud, quod est aliqua res [aliqua] una in se, diversificetur per relationem ad intellectum, in quantum intellectus illam naturam unam potest intelligere diversimode secundum diversa, quae apparent in ipsa. Verbi gratia: potest intellectus apprehendere naturam humanam secundum quod sentit; et potest intelligere ipsam secundum quod ratiocina-

¹ definitio U

tur. Et unus intellectus est extra alterum, et ideo ista natura una potest dici diversa quod-quid-est secundum quod sic intelligatur intellectibus distinctis et separatis, quorum unus non includitur in alio. Quare genus et differentia, puta animal et rationale, licet importent eandem naturam, tamen important eam sub intellectibus distinctis; ideo quod importatur per ista, est una natura, sed diversa quod-quid-est.

(3) Ad tertiam rationem: cum arguitur "Intentiones fundantur supra res, ergo diversae intentiones supra diversas res", dicendum, quod intentiones non fundantur supra res absolute, sed secundum quod habent relationem ad intellectum. Ipsae autem ut sic dicuntur quidditas vel quod-quid-est; dicitur enim quidditas in ordine ad intellectum. Unde et definitio, quae est cognitio intellectualis, est proprie significativa quidditatis. Intentiones igitur proprie loquendo fundantur supra res ut varientur naturam et¹ rationem quidditatis et quod-quid-est. Et per consequens diversae intentiones supra diversa quod-quid-est fundantur. Et cum dicitur: "diversae sunt intentiones generis et differentiae," dico, quod verum est, et ideo utrobique importantur diversa quod-quid-est, res tamen una. Unde eadem forma potest dare eidem rei diversas perfectiones, quarum unam accipit intellectus ut materialem², alteram ut formalem et posteriorem, et ita res ut sibi competit perfectio magis materialis, significatur nomine generis, ut sibi competit perfectio formalior, significatur nomine differentiae. Nec potest dici, quod propter diversitatem intentionum sit alia forma generis et differentiae, quia, sicut erat argutum, eadem ratione propter diversitatem intentionum esset alia forma speciei et individui, et sic per consequens individua eiusdem speciei differrent a se invicem differentia formali, et cum diversitas in forma causet diversitatem in specie, individua eiusdem speciei differrent specie, quod <est> impossibile.

Dicendum est ad problema aliter, videlicet quod genus et differentia unam et eandem rem dicunt, et praetermissis rationibus physicis declaratur hoc ad praesens per rationes logicas acceptas ex modo praedicandi.

(1) Prima ratio sit ista: sic dicendo '<homo est> animal rationale', si 'animal' et 'rationale' significant diversas naturas, tunc neutrum illorum diceret totam essentiam hominis, sed partem essentiae. Posito ergo, quod

¹ naturam et U: *potius scribendum per vel simile aliquid*

2 naturalem

'animal' dicat partem essentiae hominis, aut ista pars est significata in abstracto aut in concreto. Non in abstracto, quia nulla pars sumpta in abstracto praedicatur de suo toto praedicatione dicente: hoc est hoc. Non enim dicimus, quod archa est lignum vel statua est aes. Si ergo animal significaret partem essentiae hominis in abstracto, non posset de homine praedicari praedicatione dicente: hoc est hoc, quod tamen falsum est.

Item nec¹ potest dici, quod significet partem essentiae hominis in concreto. Quia si sic, aut significat partem illam ut totius est aut concretam toti. Vel ergo cum hoc significabit totum vel non. Si significet totum, cum eadem ratione et rationale illud totum significet, eadem ergo natura totalis significabitur² per animal et rationale, quod est propositum nostrum. Si autem non significet totum, sed solum significet partem ut talem vel talem habet habitudinem ad totum, cum nulla pars realis, sub quacumque habitudine accipiatur, sit eadem essentialiter toti, animal tunc ut sic significetur non erit idem homini essentialiter, nec per consequens animal de homine praedicabitur primo modo. Nam hoc praedicari de hoc per se primo modo est hoc esse idem huic essentialiter. Ad hoc igitur inconveniens deventum est, quod animal non praedicabitur de homine per se primo modo, dato quod animal significet partem essentiae.

Et huic videtur concordare Commentator, qui ponens differentiam³ inter materiam et genus II. et VIII. Metaphysicae dicit, quod genus praedicatur, materia vero non.^A Nullus autem dubitat, quoniam materia praedicatur de toto, cuius est pars in concretione. Hoc enim vult Philosophus VII. Metaphysicae.^B Ergo Commentator ponens praedictam differentiam per 'praedicari' intelligit aliquid praedicari de alio sicut totum praedicatur de toto, non sicut pars de toto. Cum ergo ipse dicat genus praedicari de specie, materia vero non praedicari de materiato, intendit, quod materia dicit partem simpliciter, genus autem dicit totum, ita quod idem secundum actum quod importatur nomine speciei, importatur nomine generis⁴, tamen sub ratione cuiusdam potentialis et confusi, et ideo dicit medium inter potentiam et actum sicut vult Commentator supra II. Metaphysicae;^C materia vero non est pura potentia.

(2) Secunda ratio sit ista: si 'animal' dicat partem essentiae hominis,

1 aut U 2 significabit U 3 animam U 4 differentiae U

A I c.17 (ed. Iuntina 8, 14vbK), VII c.24 (ed. Iuntina 8, 174vbL), VII c.43 (ed. Iuntina 8, 196raA). B VII, 1o33a 1sq (?). C I c.17 (ed. Iuntina 8, 14vbK).

tunc non erit haec vera 'homo est animal', quia homo est animalitas, sed quia homo est habens animalitatem, ita ut nomine animalis significatur hoc, scilicet habens animalitatem. Aliter enim non posset verificari oratio virtute significati praedicati et subiecti. Hoc supposito quaestio est, utrum habens animalitatem includat in se formam illam, per quam complete est homo <***> non est animal. Sed homo unde homo non est nisi per formam illam, qua complete est homo. Ergo homo unde homo non est animal. Hoc autem falsum est, quia tunc homo non esset per se animal. Si enim homo per se est animal, tunc homo per hominem est animal, et non est alia causa huius.

Et confirmatur ratio: modi dicendi per se, ut communiter^A ponitur, sic distinguantur: Nam 'per se' potest denotare habitudinem causae formalis et sic est primus modus; vel habitudinem causae materialis, et sic est secundus modus; vel habitudinem causae efficientis, et sic est quartus. Ex quo igitur 'per se' primo modo dicit habitudinem causae formalis, tunc in propositione 'per se' primo modo subiectum per illud idem, per quod formaliter et complete est id quod est participat animal et est animal. Hoc autem non esset nisi animal includeret id, per quod homo est homo. Igitur totam rem, quam includit homo, includit animal, et rationale similiter per eandem rationem. Quare et cetera.

(3) Et tertia ratio principalis sit ista: quaecumque sunt eadem essentialiter alicui, quod est unum essentialiter, oportet illa inter se esse eadem essentialiter. Sed animal et rationale sunt eadem essentialiter homini. Omne enim, quod praedicatur de aliquo, sic est idem ei sicut praedicatur de ipso. Unde quod praedicatur de aliquo essentialiter, est idem ei essentialiter; et quod praedicatur de aliquo accidentaliter, est idem ei accidentaliter; et quod praedicatur de aliquo particulariter, est idem sibi particulariter. Quare quod praedicatur de aliquo essentialiter, est idem sibi essentialiter. Sed animal et rationale praedicantur de homine essentialiter, quia per se primo modo, et ideo sunt idem essentialiter. Relinquitur igitur, quod sint eadem essentialiter inter se, nec unum addit aliquam rem et naturam super alterum, ut sic verificetur illud dictum commune, quod in definitione¹ non est aggregatio rerum, sed intellectuum vel rationum intelligendi.

Unde genus, licet non sit pars rei, est tamen pars rationis, vel

¹ distinctione U

pars secundum rationem. Et ideo dicit Commentator supra VIII. Metaphysicae, quod genus est pars in potentia, materia vero est pars in actu.^A Et causa huius est, quia res secundum esse suum actuale habet partes reales, materiam videlicet et formam, ita quod materia est pars rei secundum esse suum actuale, genus autem est pars rei secundum suum esse intelligibile, et quia res de se non est intelligibilis nisi in potentia, ideo genus dicitur pars rei in potentia. Genus igitur solum est pars rei secundum quod res est apud intellectum, et differentia similiter.

His visis respondendum est ad rationes per ordinem.

(1) Ad primam cum arguitur: "Per se insunt primo modo, quaecumque et cetera", est hic dicendum, quod aliter iudicat metaphysicus perseitatem in propositionibus, et aliter logicus. Metaphysicus enim considerat perseitatem in propositionibus inspiciendo ad res et modos essendi rerum. Unde illam propositionem dicit esse 'per se' primo modo, cuius subiectum et praedicatum sic se habent, quod essentia praedicati includitur in essentia subiecti, et modus essendi praedicati est pertinens ad modum essendi subiecti, sicut modus essendi animalis ad modum essendi hominis. Et necessarium est, quod metaphysicus in iudicando de perseitate propositionum consideret ad modos essendi. Sic enim ut homo, unde animal est, non magis habet, quod sit determinate homo quam leo vel asinus, homo tamen, unde homo est, determinate habet, quod sit animal, et non, quod sit non animal. Hoc autem sibi innotesci non potest nisi secundum quod considerat ad modum essendi hominis, unde homo est, et animalis, unde animal est. Modus enim essendi, qui competit homini, unde homo est, virtualiter includit in se sensitivum, per quod animal est animal. <Modus essendi animalis, unde animal est> non magis determinate est hominis quam <alius> animalis. Modus tamen essendi hominis, unde homo est¹, determinate est² alicuius animalis. Et ideo metaphysicus non habet considerare, iudicare, formare istam esse per se: animal est homo, sed illam: homo est animal. Nam homo, unde homo, est animal, quia homo, unde homo, includit sensitivum cum rationali. Animal autem absolute dicit aliquid ut habens naturam sensitivam. Sic ergo dicit metaphysicus istam esse per se primo modo: homo est animal, quia homo unde homo est animal, et hoc apparet

¹ homo est: homini U 2 et U

A VIII c.6 (ed. Iuntina 8, 214vbK).

per considerationem ad modum essendi ipisus. Sed homo unde homo essentiam quandam absolutam nominat, quae ut sic est per se obiectum intellectus et de primis conceptibus. Res autem ut talem habet relationem ad intellectum dicitur¹ 'quod-*quid-est*'. Et ideo quod convenit homini ut homo est, dicitur includi in quod-*quid-est* hominis. Quare si metaphysicus dicit istam esse per se primo modo: 'homo est animal', quia homo, unde homo, est animal, dicere hoc non est aliud quam dicere, quod ipsa est per se primo modo, quia animal includitur in quod-*quid-est* hominis. In hoc ergo stat metaphysicus, cum quaeritur ab eo, quare propositio aliqua² est per se primo modo. Dicit enim, quod ideo est, quia praedicatum includitur in ipso quod-*quid-est* subiecti.

Logicus autem considerat ad intellectum rerum. Unde dicit istam esse per se primo modo 'homo est animal', quia animal est de intellectu hominis, ita ut non posset intelligi homo, quin intelligatur animal. Et quia definitio est quaedam cognitio expressiva intellectus essentialis, qui habetur de re, ideo si logicus dicat istam esse per se primo modo 'homo est animal', quia animal est de intellectu hominis essentiali, dicere hoc non est aliud quam dicere, quod ipsa est per se primo modo, quia animal est definitio vel pars definitionis hominis. In hoc ergo stat logicus, cum quaeritur ab eo, quare aliqua propositio est per se primo modo. Dicit enim, hoc ideo esse, quia praedicatum cadit in definitione dicente 'quid est' subiecti, sicut expresse vult Philosophus I. Posteriorum.^A

Ex dictis ad rationem. Cum dicitur: "Per se insunt alicui primo modo, quaecumque insunt in ratione dicente 'quid est' ipsius subiecti", verum est loquendo logice, ut iam dictum est. Et cum dicitur: "Posito quod genus et differentia importent eandem naturam, tunc idem quidquid importatur per unum, importatur per alterum", dicendum, quod non sequitur. Nam sicut dictum est, una res potest habere diversa quod-*quid-est*, et sic est de genere et differentia. Nam sunt una res, sed diversa quod-*quid-est*. Unde unum non cadit in ratione dicente 'quid est' alterius, sed unum est extra intellectum essentialem alterius et quiditatem. Genus enim et differentia sic comparantur ad se invicem sicut potentia et actus, vel sicut materia et forma. Propter quod sicut intellectus essentialis materiae est extra intellectum essentialem formae et e converso, sic est

¹ dicit U ² causata U

de genere et differentia.

Sed in his, quae dicta sunt, duo videntur esse dubia. Primum est de hoc, quod logicus iudicat perseitatem in propositionibus considerando ad rationes intelligendi. Hoc enim non videtur esse verum, quia propositio aliqua non debet dici per se primo modo ex eo, quod accidit subiecto propositionis illius. Ratio autem intelligendi talis, per quam simul homine intellecto intelligitur animal, accidit homini. Ergo per talem rationem intelligendi non debet logicus iudicare istam esse per se: homo est animal.

Secundum dubium est de hoc, quod dicebatur, quod genus est extra intellectum essentialem differentiae. Hoc non videtur esse extra intellectum essentialem alterius, <quod importat eandem naturam>. Sed genus et differentia sunt tales. Quare et cetera.

Ad primum illorum dicendum est, quod licet ratio intelligendi talis, per quam homine intellecto animal intelligitur, accidat homini unde homo est absolute, sicut etiam esse homini unde homo est accidat intelligi, tamen non accidit propositioni ut consideratur a logico et ut subiectum propositionis logicae. Considerat enim logicus determinatum (?) respectum modi intelligendi, quia appropriate debetur homini et ideo ratione istius dicit illam esse per se 'homo est animal'.

Sed tu dicis forte, ad minus secundum veritatem modo perseitatis, quem considerat logicus, est adiunctus aliquis modus accidental¹, cum realiter modus intelligendi sit accidens hominis unde homo est. Dicendum, quod hoc verum est. Unde logicus non eo modo considerat perseitatem in propositionibus, quomodo verius considerari potest. Sed qui hoc modo considerat, dicitur esse primus philosophus. Nam ipse habet reddere causam eius, quod dicit logicus, cum assignat propositionem aliquam esse per se primo modo. Dicit enim logicus, quod haec est per se: homo est animal, quia homine intellecto intelligitur animal. Sed causa huius, quare homine intellecto intelligitur animal, debet concedi a metaphysico. Nam hoc ideo est, quia animal includitur in 'quod-quid-est' hominis.

Ad aliam rationem dicendum, quod genus et differentia important idem materialiter, sed aliud et aliud important formaliter. Quia hoc importatur formaliter per terminum, a quo principaliter accipitur ratio termini et sub cuius ratione significatur, quod significatur per terminum. Hoc autem importatur materialiter, ad quod solum inspiciendo impositio talis termini

¹ accidit U

eadem est cum impositione alterius termini, in nullo differens nisi in voce solum. Nunc autem, licet genus et differentia eandem rem importent, cum haec est sub alia et alia ratione, quae quidem rationes, licet non sint essentialia <naturae absolutae, tamen sunt essentialia> ei ut importatur nomine generis et differentiae. Ut puta: licet ratio determinabilis non sit essentialis naturae hominis absolutae, est tamen essentialis ei, ut significetur nomine animalis vel ut cadit sub intellectu animalis. Similiter ratio determinantis, <licet non sit essentialis naturae hominis absolutae, tamen> ei¹ est essentialis, ut significetur nomine rationalis vel ut cadit sub nomine ipsius sive intellectu. Et hoc totum veritatem habet, secundum quod animal et rationale accipiuntur nomina secundarum intentionum. Si autem accipiantur nomina² primarum intentionum, tunc adhuc quod non est essentialia naturae hominis absolutae, est essentialia sibi, ut cadit sub intellectu animalis vel rationalis. Quod enim homo intelligatur determinate, ut habens naturam sensitivam, accidit sibi, et tamen non accidit sibi, ut cadit sub intellectu animalis. Similiter quod determinate intelligatur ut rationem habens absque hoc quod intelligatur sensitivum, hoc accidit, tamen hoc non accidit sibi, ut cadit sub intellectu rationalis, non absolute. <Licet> ergo quod eadem natura subiecta importetur per genus et differentiam, aliquid tamen est essentialia differentiae ut differentia est, quod non est essentialia generi ut genus est et e converso. Et ideo unum est extra intellectum essentialia alterius, puta genus extra intellectum essentialia differentiae et e converso, quia illud, quod est essentialia [est] et formale utriusque, est aliud et aliud, licet quod materiale est, utrobique sit idem. Et hoc est natura subiecta, in qua fundatur ratio essentialis differentiae, secundum quod differentia, et ratio essentialis generis, secundum quod genus.

Tunc ad formam rationis. Cum dicitur, "quando aliqua important eandem naturam, non videtur, quod unum sit extra intellectum essentialia alterius", dicendum, quod hoc verum est, si illa natura una sit de significato principali et formali utriusque. Si tamen illa natura una sit de significato minus principali et sit sicut quid materiale in significato utriusque - quod autem utrobique formale est, sit aliud et aliud - nihil prohibet talium duorum unum esse extra intellectum essentialia alterius. Sic est de genere et differentia ut patet ex praemissis. Ideo et cetera.

¹ cui U ² existentia U

Ex praemissis potest reddi causa, quare genus non praedicatur de differentia per se primo modo. Nam oportet, quod in propositione per se primo modo praedicatum sit de intellectu essentiali subiecti. Genus non est de intellectu essentiali differentiae, ut iam ostensum est. Quare et cetera.

(2) Ad secundam rationem principalem. Cum arguebatur: "Si genus et differentia importarent eandem naturam, nugatio esset in definitionibus", est hic advertendum, quod 'nugari' est idem dicere frequenter. Illud autem dicitur absoluto nomine, quod principaliter per dictionem repraesentatur, et ideo frequens et immediata additio talium, quorum unum est de principali significato alterius, causat nugationem. Illud autem est de principali significato alicuius termini, sub cuius ratione significatur, quod significatur per terminum. Propter hoc enim est intentio Commentatoris, quod nomen hominis principaliter significat formam, secundario aggregatum, non quod forma sit id, cui nomen imponitur, sed hoc, cui nomen imponitur, est aggregatum. Sed principaliter dicitur significare formam, quia forma est, sub cuius ratione totum aggregatum significatur sicut et intelligitur. Unde si talia duo nomina adderentur sibi invicem immediate, quae sic se habent, quod res unius includit rem alterius et ratio, sub qua significat unum, includit rationem, sub qua significat alterum, ex immediata additione talium crearetur nugatio sicut dicendo 'homo [est] animal' et secundum alios dicendo 'animal [est] homo'. Si autem res utrobique significata fuerit una, dummodo ratio, sub qua significatur id, quod significatur, fuerit alia et alia, ita quod una non includat aliam, non erit nugatio, quia tunc non est immediata additio nec frequens repetitio eius, quod principaliter significatur. Verbi gratia: ens et unum sicut vult Philosophus IV. Metaphysicae significant unam et eandem naturam omnino.^A Idem enim est homo et ens homo et unus homo, et non differunt nisi secundum dictionem repetitam, nihilominus tamen non est nugatio dicendo 'ens unum' ut vult Averroes contra Avicennam super eundem.^B Et huius ratio est haec, quia ens et unum, licet idem significant, tamen hoc est sub diversis rationibus, quarum una non includit aliam. Ergo non ponimus nugationes esse in sermone inspiciendo ad identitatem rerum, sed rationum, sub quibus res significantur. Nunc autem licet eadem res importetur nomine generis et differentiae, tamen importatur utrobique sub rationibus diversis,

A IV, 1003b 22-23.

B IV c.3 (ed. Iuntina 8, 67ra-va).

quarum una non includit aliam. Genus enim illam naturam, quam significat differentia, importat sub ratione tali, quae non est determinata de se, potens tamen determinari per aliud. Differentia vero illam et eandem naturam importat sub illa ratione, qua includit in se determinans. Et illarum rationum una non includit aliam. Cum igitur una illarum rationum principaliter significetur nomine generis, altera autem principaliter et primo significetur nomine differentiae - hoc enim voco primum significatum termini, quo significatur id, quod significatur per terminum - et una illarum non est alia, nec in alia includitur, manifestum est tunc quod addendo immediate differentiam generi non dicitur idem frequenter quantum ad id, quod principaliter significatur utrobique. Et ideo nugatio non est.

Tunc ad formam rationis. "Nugari est idem dicere frequenter", verum est quantum ad id, quod principaliter significatur. Et cum dicitur: "si genus et differentia importarent eandem naturam, tunc addendo unum alteri idem dicitur frequenter", dico, quod non quantum ad id, quod principaliter significatur per utrumque. Licet enim res, quae utrobique significatur, sit eadem, tamen ipsa non significatur principaliter, intelligendo significatum principaliter eo modo, quo dictum est. Ideo et cetera.

Si tamen aliquis vellet dicere, quod nugatio est repetitio eiusdem, quod quodammodo significatur per terminum sive primo sive non primo, tunc nullus posset evitare, quin ibi esset nugatio. Sed tamen hoc non est nugari ut patet ex praedictis.

Sed in hic dictis duo videntur dubia.

Primum est, quia dicebatur, quod ratio principaliter significatur nomine generis et differentiae, ex consequenti autem significatur res. Si enim ita esset, tunc, cum ratio accidat rei, nomen generis esset nomen alicuius entis secundum accidens et per consequens nomen animalis. Quare animal non significaret aliquid ens vel aliquid unum per se.

Secundum dubium est de hoc, quod dicebatur, quod ratio entis et ratio unius sic se habent ad invicem, quod una non includit aliam. Contra: in omni eo, quod est posterius ente, necesse est includi rationem entis. Sed ratio indivisionis est aliquid posterius ente. Ergo in ipsa ratione indivisionis oportebit includi rationem entis. Cum ergo ratio indivisionis sit ratio unius, tunc in ratione unius includitur ratio entis, quod est contra praedicta.

Ad primum illorum dicendum est, quod genus et differentia possunt dupliciter accipi: vel secundum quod nomina primarum intentionum vel

secundarum. Si accipiantur prout sunt nomina secundarum intentionum, sic ratio determinabilis est ratio, quae principaliter significatur nomine generis, et ratio determinantis, quae primo significatur nomine differentiae. Et istae quidem rationes absolute loquendo accidunt rei, quae per talia nomina significatur, licet non ut sic significatur. Et ideo secundum veritatem nomen generis illo modo dicti est nomen alicuius entis secundum accidens. Unde genus ut sic significatum nec de animali nec de quocumque, quod est primae intentionis praedicatur per se, sed per accidens solum dicendo 'animal est genus', 'corpus est genus' et sic de aliis. Si autem genus et differentia accipiantur secundum quod sunt nomina primarum intentionum, puta animalis et rationalis, sic ratio determinabilis non est ratio, quae principaliter significatur nomine generis, sed ratio sensitivi. Unde nomine animalis primo significatur sensitivum.

Die beiden nächsten Spalten (92rb+va) lassen sich nicht edieren, weil das Blatt zerrissen ist, so dass nur ungefähr die Hälfte der Spalte übrig geblieben ist. Wenn der Text wieder vollständig wird (f.92va unten) scheint sich der Verfasser des Sophismas einige neue Argumente gegen seine Position zu überlegen. Besonders auffallend ist es, dass seine Antwort sich oft wörtlich an Heinrich von Ghents Quodlibet IV qu. 4 (ed. 1518 fol.91) aus dem Jahre 1279 anschliesst. Heinrichs Auffassungen werden aber auf die Logik hin appliziert und ergänzt.

Ad primum istorum dicendum, quod metaphysicus <et naturalis> duplici modo definiunt sicut et duplici¹ modo considerant <de una et> eadem re. Naturalis enim intellectus² considerat hominem secundum quod est compositum naturae et ideo <considera>t principia, ex quibus res habet componi in esse naturae, scilicet materiam ut est <subiectum> transmutationis et generationis naturalis, et formam secundum quod inducta³ per <generationem natura>lem in composito et particularia principia hominis definit dicens quod homo est anima⁴ <et> corpus, vel compositum ex anima et corpore. Metaphysicus autem hominem considerat, non <secundum> quod existit in esse naturae compositum ex forma et materia, sed solum secundum quod est essentia composita ex aliquo potenciali et ex aliquo actuali. Propter quod considerat hominem diversimode(?)⁵ quantum ad esse penes completum et incompletum. Potentia enim et actus sunt per se differentiae entis

1 di^{ci} U

2 non U

3 induta U

4 animal U

5 dv^{ri}ci U

<secundum> quod ens, cuius consideratio ad metaphysicum pertinet. Et quia homo et universaliter quaecumque res naturalis secundum solum illum modum, secundum quem consideratur a metaphysico, non habet esse extra - non enim existit extra nisi secundum quod est terminus generationis naturalis; sub isto autem modo non consideratur a metaphysico, sed solum ut habet esse in intellectu cognoscente et apprehendente hominem secundum quod est essentia habens diversa esse, quorum unum est completum, aliud vero non - ideo considerat principia essentialia hominis ut est quid sic apprehensum ab intellectu et per talia principia hominem definit dicens quod homo est animal rationale. Itaque naturalis partes hominis dicit esse materiam ex una parte et formam perfectam ex altera ut corpus intelligatur ad modum materiae purae, anima autem ad modum formae, sed metaphysicus dicens homo est animal rationale, partes hominis dicit genus et differentiam: genus in quantum ut dicit aliquid potentiale imperfectum perfectibile per formam secundum esse incompletum, differentiam in quantum ut dicit aliquid perfectum¹ per formam partis secundum esse² completum. Ita quod illam formam quam naturalis considerat sub ratione alicuius simplicis secundum rem, metaphysicus dividit secundum intellectum penes esse completum proveniens ab ipsa, et esse incompletum et formam illam ut dat esse incompletum dicit significari nomine generis, ut autem dat esse completum dicit significari nomine differentiae, ita ut idem res sit quod intelligit naturalis, cum dicit esse corpus hominem et animam et quod intelligit metaphysicus, cum dicit: homo est animal rationale. Materiam autem, quam naturalis intelligit ut distinctam per essentiam contra formam, intelligit metaphysicus in illo, quod significatur nomine generis et nomine differentiae. Et formam illam, quam naturalis considerat ut unam et simplicem secundum rem, metaphysicus dividit penes esse completum et incompletum, et formam illam nomine unius intelligit metaphysicus in composito ut significatur nomine generis, formam eandem ratione³ alterius esse intelligit in composito ut significatur nomine differentiae. Itaque genus et differentia, ut cadunt in definitione metaphysici, non expriment diversas essentias vel diversas formas, sed diversa esse convenientia in composito a forma una et simplici secundum rem. Logicus autem considerat hominem secundum quod est compositum ex diversis rationibus intelligendi, quarum una respectu alterius habet rationem determinabi-

1 perfectibile U

2 secundum esse: vel omne U

3 rem U

lis, altera autem rationem determinantis. Consideratio autem logici de rebus praesupponit considerationem metaphysici. Unde quia metaphysicus considerat in homine unam formam simplicem, a qua proveniunt diversa esse, quorum unum est sicut materiale et incompletum, alterum autem sicut formale et completum, ideo consequenter logicus supra illos diversos modos essendi volens fundare diversas rationes intelligendi, quarum una est materialis, altera autem formalis hominem intelligit ut supra ipsum nata est fundari ratio quaedam intelligendi composita ex rationibus intelligendi diversis, quarum una respectu alterius habet rationem materialis et determinabilis, altera autem rationem formalis et determinantis et per genus et differentiam, ut significant hominem sub talibus rationibus intelligendi diversis, hominem definit dicens quod homo est animal rationale, ita quod genus et differentia, ut cadunt in definitione logica, non important diversas essentias ut diversa, sed diversos modos intelligendi acceptos ex diversis modis essendi, ita quod illam formam, quam dividit metaphysicus secundum intellectum penes esse completum et incompletum, dividit logicus penes rationes determinabilis et determinantis, et idem re, quod intelligit metaphysicus, cum dicit 'homo est animal rationale', intelligit et logicus, cum eandem definitionem affirmat de homine. Nam compositum illud, quod intelligit metaphysicus nomine animalis, ut sibi competit esse materiale et esse incompletum, intelligit logicus ut sibi competit ratio intelligendi, quae in respectu alterius rationis habet rationem materialis et incompleti et determinabilis; et illud idem, quod intelligit compositum metaphysicus nomine rationalis, ut sibi competit esse distinctum, formale et completivum, intelligit logicus eodem nomine ut sibi competit ratio intelligendi ***

Reliqua desunt.